



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Tonitrus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

quem, uti dictum est, ciere flumina Taurorum instar videntur, & Taurorum instar atrocitas sunt; ut A Festus ait, sive quod cornua fluminibus ab flexuosis eorum lapsibus attribuantur.

TONITRUS. CAP. X.

Quod vero pertinet ad mugitum mythologi Philosophi abactis Geryonis Boves impulsu Herculis, tonitrus hieroglyphico significato intelligi debere autumant: quæ quidem sententia eorum est, qui Hesiodi Philosophiam interpretantur, ea scilicet de causa, quod Poeta plerumque tonitrus auditos Mugire dixerint. Abigi vero ab Hercule dicuntur, quia Solem per Herculem intelligebant. Solis igitur calor in nubes illapsus, earumque rigore coarctatus, simulac defractus nubibus erumpit, mugitus eos ciere consuevit.

LÆTITIA. CAP. XI.

Læte vero diffusum est hieroglyphicum illud, ut per Vituli signum lætitia significetur: unde etiam Vitulari verbum, hoc est, lætitiæ signum præbere, & exultando gestire, apud veteres Vitulantes, gaudentes, lætabundosque dici comperias: ut non temere apud conjectores Hebræos legas, lascivientem currentemque Taurum per somnium imaginari, futuræ lætitiæ signum esse: addi verò lucri adventantis significatum si per huiusmodi quietem pascentes visi fuerint. Eius verò lætitiæ causa Psalmographus clamat *circumdatum se à Vitulis multis, & à pinguis Tauris obfessum.*

Psalm. 22, 12.

ANNONÆ FELICITAS ET PENURIA. CAP. XII.

Quoniam vero & in somnia, & in id Bovis significatum incidimus, quo læta nobis omnia proponuntur, qua ratione quoque modo Bovillum pecus annonæ feracitatem, atque itidem penuriam significet, ex Divinis nostrorum literis historiam repetere minime fuerit importunum. Satis enim constat, quemadmodum Josippus ille somniator Jacobi filius, ob invidiam fuerit à fratribus venundatus, atque in Ægyptum abductus, ubi longam servierit servitutem, utque postmodum primas apud regem obtinuerit posteaquam nocturnam eam imaginem, quæ sese Pharaoni altius dormienti obtulerat, interpretatus est. Imaginatus enim erat ille septem Boves, pulchro, hilari & pingui aspectu, ab ripa Nili ad paludem aberrantes, quas septem aliæ deformi macie palustri eo loco emergentes exceptas conficerent. Mox verò existimabat septenas spicas cernere multa fruge conspicuas, & quæ jam secari poterant, totidem numero spicæ sterilitate insigni ex proximo occupare videbantur, (hoc verò visum secundo loco, quod ex Hetrusca disciplina in ostentis experitur, primò additum attestatum facit, ut etiam in Gedeonis vellere diximus.) Hic juvenis rerum prudentissimus, eximiâ quandam septem annorum feracitatem ex eo portendi pollicitus est, quam optimæ illæ Boves cum frugiferis spicis inspectæ denunciarent, quippe quod sit animal agrorum cultui præcipue idoneum, telluris felicitatem per eas interpretari oportere, cujus lætitiæ causa futura esset Nili inundatio, unde visæ essent illæ Boves emergere, idque per spicas, quæ hilari essent aspectu, manifestius significari: annorum quippe septem lætissimum præventum, cætera, quæ his adversa apparuissent, totidem annorum famem demonstrare, quæ ubertatem illam e vestigio subsecutura esset. Est nimirum palus sterilitatis indicium, steriliisque passim tum à Poëtis, tum ab Oratoribus appellatur. Cum autem interpretationem huiusmodi ei approbasset, Rex Josippi consilio fretus, non modò famem ab Ægypto depulit, sed finitimos etiam populos abunde saturavit. Ajunt itaque Ægyptii, ejus beneficii memores, homini gratiam ita relatam voluisse, ut simulacrum Serapidis, cum modio in capite, cujus rei monumentum esse decreverint. Sedenim alibi de Serapi. Mirum autem memoratu est, quantum honoris vetustas iis attribuerit, qui humano victui vel industria, vel cura, vel ope privata consulissent. Livius auctor est, auratam Bovem extra portam Trigeminam Minutio Auguri positam à populo collata stipite, quod farris pretium intimis nundinis ad assem redegisset. Farris enim victitasse populum Rom. per ccc. annos ab Urbe condita, Verrius Flaccus prodidit.

Serapidis simulacrum.

TERRA FRUGIFERA. CAP. XIII.

Apud Persas, barbata ceremonia, Bos fronte in Leoninam faciem conformata, ex antro cornibus arreptus educebatur, ad sacrificium, de quo Papinius:

Indi-